

Charta legitur, in de vota considerationis examine profusa Christi beneficia, quibus ex sola miserationis sua dulcedine in opportunitatibus nos prævenit, & variis nos licet immeritos liberando periculis & dextra sua potentia contra nobis adversantium impetus, cum victoriosi successibus magnifice defendendo, ac aliis in tribulationibus & perplexitatibus quibus plurimum involuti fuimus, cum insperati superinfusione remedii consolando. Huic adjunctum erat Palatum antiqua Regum Angliae habitatio à tempore S. Edwardi Confessoris, quod regnante Henrico Octavo igni fortuito deflagravit. Amplum sane & magnificum fuit hoc Palatum, adficium eo aero incomparabile cum antemurali & propugnaculis. Ejus enim reliquiae sunt Camera illa, in qua Rex, proceres, & magnates cum Comitia Parliamentaria habentur, convenient, & proxima, in qua Comitia inchoare soliti sunt majores, dicta Camera depicta S. Edwardi.

Fitz-Stephens.

Proditio
Fr. Cates-
by.Westmin-
sterhall.Guil. Lam-
bertus.proverb.
c. 16.

Quod, & quam cruentum, tetur, atrox, pernitiosum, diis hominibusque invisum flagitium feræ quædam hominum forma induitæ, architecto Francisco Catesby suffosione, & subjecta his ædificiis pyrii pulveris vi magna, in Principem, patriam, & omnes regni ordines nefando religionis obtentu nuper molirentur, animus meminisse horret, attonitusque stupet vel cogitare, in quam ineluctabiles tenebras, & luctuicas clades florentissimum regnum ex improviso conjecissent. Sed quod in re leviori antiquus Poëta, nos in hac dolenter efferamus,

*Excidat illa dies aero, ne postera credant
Secula, nos certe taceamus, & obruta multa
Nocte tegi proprie patiamur crimina gentis.*

His contigua est Aula Alba, in qua hodie Reuestarum Curia. Cui subjuncta est Aula omnium maxima, quod totius Angliae Prætorium. In hoc fora judicaria constituuntur, scilicet *Bancus Regius*, *Communia placita*, *Cancellaria*; atque in locis circumvicinis *Camera Stellata*, *Fiscus Regius*, *Curia pupillorum*, *Curia Ducatus Lancastria*, &c. In quibus statis temporibus (*Termes vocamus*) quotannis caussæ cognoscuntur. Cum ante Henrici Tertii tempora primæ justitiae forum vagum esset, aulamque Regiam comitaretur. Verum ille in *Charta Magna* legem tulit, *Communia Placita non sequantur Curiam nostram, sed tenentur in aliquo certo loco*. Quod tamen sunt qui intelligunt, ut *Communia Placita* in suo seorsim foro jam inde & non in *Banko Regio*, ut prius, tractarentur. Hoc quod nunc habemus Prætorium Richardus Secundus extruxit, ut videre est ex ejus insignibus in saxe, & lacunaribus (cum Aulam vetustiorem quam *Guilielmus Rufus* eo loci construxerat, diruisset) suæque habitationi dicit, tunc enim Reges ipsi caussas audire soliti. Sunt enim illi ΔΙΚΑΣΠΟΛΟΙ, quorum os, ut habet Regius Scriptor, in judicio non errabit. Verum hoc Palatum postquam deflagravit anno MDXII desertum jacuit, & Henricus Octavus paulo post sedem Regiam ad ædes vicinas non ita pridem Cardinalis Wolfsæ transtulit, quas *VVhite Hall* vocant, id est, *Aula alba*. Domus hæc est vere Regia, hinc vivario, quod & alteram Regiam conjungit, *S. Iames* dictam ab Henrico VIII positam, illinc Tamisi conclusa. Hanc Poëta quidam *Leucæum* ab albedine dixit:

Leucæum reges (dederant memorabile quondam Atria, qua niveo candebant marmore, nomen) Quod Tamisi, prima est cui gloria pacere cygnos Lædeos, rauco pronus subterluit æstu.

In proximo prope The Mues, ita dictum, quod rei accipitrariæ olim dicatum, nunc Equile Regium eit pulcherrimum, stat monumentum in memoriam pientissimæ Principis Eleonoræ ab Edwardo primo charissimo marito positum, statisque ejus pietas sempiternis seculis consecranda. Illa enim filia Ferdinandi III Regis Castiliæ, Edw. I Angliae Regi in uxorem data, cum illo in terram sanctam profecta, ubi cum ex insidiis, à Mauro quodam gladio venenato ille percussus eset, & medicorum remediis non tam allevaretur, quam alligaretur, novam atque inauditam, sed amore & pietate plenam illa adhibuit medelam: plagas enim mariti toxicæ infectas, que ipsius veneni vi claudi non poterant, lingua dietim lingebat, sugebatque humorem venenosum, sibiique liquorem dulcissimum. Cujus vigore, dicam verius fidei uxoris virtute, sic omnem materiam veneni attraxit, ut integratis vulnerum cicatricibus ille plene curatus, illa incolmis evaserit. Quid igitur hujus mulieris fide rarius audiri? quid mirabilius esse potest? ut uxoris lingua fide & dilectione maritali peruncta, venena à dilecto marito expulerit, quæ ab electo medico trahi non valuerunt: Quod plurima exquisitaque non effecerunt medicamenta, una uxoris pietas explevit. Hæc de Westmonasterio conjunctim cum Londino, (etsi, ut dixi, per se sit Civitas & jurisdictione sejuncta) quod perpetuis ædificiis ita sit conjuncta, ut una eadem que civitas videatur.

Ad Occiduam etiam urbis partem alia pulchra ædificiorum serie procurunt suburbia Holburn, sive potius Oldborn, in quibus sunt Iuris Municipalis studio collegia nonnulla dicata, & Episcoporum Eliensium habitatio Episcopis digna, quam Ioanni de Hotham Eliensi Episcopo sub Edwardo Tertio debent. Ad Septentriones item accreverunt suburbia in quibus Iordanus Briset vir pius & bene nummatus Domum Militibus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymis construxit, quæ in magnam amplitudinem instar Palatii excrevit, Ecclesiamque habuit per pulchram, turrimque sacra tanta elegantia in altum extructam, ut urbi fuerit, dum stetit, ornamento singulari. Hi prima institutione tam fuerunt demissi, dum pauperes, ut eorum Præfectus diceretur, *Servus Servorum pauperum Hospitalis Hierosolymis*, uti Templariorum, qui paulo post exorti. *Humilis minister Pauperum Militum Templi*. Adeo tamen pietate & virtute militari res eorum per pios Principes & privatos ex hoc humili gradu surrexit, ut copiis circumfluxerint longe maximis. Habuerunt enim hi circa annum M C C X L. in Orbe Christiano novemdecim millia prædiorum sive Maneriorum, ut Templariorum novem millia (quorum redditus in Anglia cesserunt postea etiam Hospitalariis) amplissimæque hæ fortunæ viam ad magnos honores ita munierunt, ut eorum Prior in Anglia Primus Baro censeretur, & omnium rerum abundantia honorifice circumflueret, donec Henricus VIII pravis usus consilio horum latifundia sibi arripuerit, ut etiam monasteriorum, quæ piissimo instituto ad Dei gloriam consecrata, &

The
Mues.
Charing
Cross.
Pietas
conjugali-
lis.
Roderi-
cus Tole-
tanus li-
bro pri-
mo.

S. Johns
Hospitali-
larii.

Templa-
rii.

Matthæus
Paris.